

rum moveantur ad faciendum, quod faciendum norunt.

IV. Magnates fere et potentes; quod inde clarum fit, quia raro audiunt conciones; et si audiant, breves esse volunt: insuper ad eas parum attendunt, sed interim alia tractant et colloquuntur inter se. Testantur id etiam pontifices ad Pharisæi, c. VII. Joan. cit. *Numquid ex principibus, aiunt, aliquis credidit in eum?* (Christum). *Sed turba hæc, etc.* quæ ut ait Marc. c. XII. *libenter eum audivit.* Causam huius rei edixit Diogenes, apud Laert. l. VI. quia magnates et nobiles liberos se natos arbitrantur, unde leges non facile accipiunt; sed quidquid lubet, agere volunt. Verissime igitur de illis dictum credas a Sophar, Job. XI. *Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.* Onager enim per silvas et montes, quacumque vult, vagatur, quia in illis natus est; unde capi se non patitur, ac sub jugum mitti. Miratur quidem accedentem ad se hominem et moratur, donec plane vicinus sit: at ubi quis manum extendere eumque apprehendere tentat, celerrime cum clamore et calcitratione proripit se, nec quisquam eum ob velocitatem assequi potest, auctor. Scallig. exerc. CCV. Plane in hunc modum nobiles multi adeunt quandoque et mirantur conciones, at si concionatores manum eis aut frænum injicere velint, diffugiunt, nec amplius in concione comparent, quin et in concionatorem recalitrant et scommata effundunt. Porro Rabbi Salomon, apud Corn. de Lap. in Jer. c. II. ait onagros uno mense anni dormire, et tunc quando dormiunt, capi posse. Quod si verum est, certe quadrat huiusmodi hominibus, qui nisi in somno mortifero et lethali ægritudine vix capi et converti possunt. Denique, *venatio leonis onager*, ait Eccles. cap. XIII. pari modo qui libertatem carnis amant, venatio et tandem præda fiunt tartarei leonis.

V. Increduli, qui verbo Dei fidem non habent, quales etiam hodie reperiri, nec paucos satis compertum est. At vero Dei verbum, quod in Scripturis continetur et a concionatoribus prædicatur, verissimum Dei verbum esse paucis ostenditur.

Primo, ex librorum auctoribus, qui vel boni fuerunt vel mali. Si boni, quomodo potuerunt sibi attribuire ea verba et doctrinas, quæ Dei sunt: quomodo mentiri, cum toties tamque acriter mendacium damnent? Si mali, quomodo tam serio commendant bonum et prohibent malum? Item vel sacri libri sunt illorum auctorum, qui feruntur, vel aliorum; si primum, cum fuerint viri sancti, quomodo mentiti sunt? Vel si dicas deceptos fuisse, quomodo non temerarii?

Si secundum pari ratione omnes librorum antiquorum auctores vel Christiani fuerint, vel non. Si Christiani, quomodo mentiti? Cur aliorum potius nomina, quam sua posteritate commendarent? Si non, quomodo Christiani religionem adeo commendant, suam vero reprobant?

Secundo, ex materia, quæ etsi multa, supra rationis humanæ captum continet, nihil tamen ei contrarium, nihil etiam non sanctum et impium tradit. Habet etiam plurima vaticinia, quæ temporis progressu verificata sunt, uti in vet. test. de regno tribus Judæ, Gen. XLIX. de Cyro rege, Isa. XLV. etc. in novo testamento de excidio Jerosolymæ et Judæorum, de mundi totius conversione, de martyrio Petri, Joannis vero naturali morte, etc.

Tertio, ex Ecclesiæ et totius orbis sensu et consensu qui libris sacris divinam semper auctoritatem tribuit, aliis abnegavit: tot sæculis eos illibatos conservavit: per libros illos conversus est. At licet fuerint, qui aliqua in iis velut absurda calumniati sunt, uti Porphyrius et Julianus, a nullo tamen quidquam falsitatis redargutum, multo minus convictum est, ne a Judæis quidem, qui apostolorum et scriptorum illorum tempore vixerunt tam acres alioquin christianæ religionis hostes; quod maximum est argumentum. Multi etiam ex cruciari et necari maluerunt, quam libros illos tyrannis exurendos tradere.

Quarto, ex miraculis, quibus eorum auctoritatem comprobavit Deus. Eorum primum est, septuaginta duorum interpretum, qui Hebræa biblia in Græcam linguam verterunt sub Ptolomæo Philadelpho in Ægypto, mirus consensus. Secundum illud, quod refert Josephus, l. XII. antiq. c. II. de gentilium scriptorum, Theopompi et Theodocæ supplicis, quorum ille amentia, hic oculorum glaucomate punitus ob S. Scripturam irreverenter habitam. Tertium, apud Caton. Uticensis, lib. III. de persec. Wand. quando s. biblia magistratus sacrilegus voluit comburere, mox tamen sereno cælo imber lapsus ignem extinxit. Huic simile accidit Alutini tempore Diocletiani, apud Baronium, tom. II. Quartum, apud Theodorum lectorem, cum ingens incendium Constantinopoli objectu evangeliorum extinctum est. Quintum, quod recitat Zonaras, III. parte annal. de Russis ad fidem conversis, cum evangeliorum librum in flammis conjectum non ardere viderunt. Sextum, in vita S. Edmundi, c. XVI. quando eo dormiente biblia igne corrupta arserunt diu absque læsione. Septimum, apud Soranzem in suo Ottomanno, c. CIV. de juvene Turca, qui in Amuratis aula ex lectione sacræ Scripturæ conversus et præstantissimus martyr factus est.

Refert Nicol. Serarius, in proleg. bibl. c. IV. q. X. Quibus addes, quod in vita S. Bonifacii archiepiscopi Mog. et martyris scribitur de libro evangeliorum, qui gradio sicarii a sancto objectus, ab eo per medium sectus est, nulla tamen ullius litteræ incisione, lib. II. vitæ, c. XXI. apud Sur. 3. junii, quasi hoc miraculo Christus confirmare voluerit, verbum illud suum: *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege*, Matth. V. Alia, quæ in concionibus dicuntur cum Scriptura s. conveniunt, ejusque doctrinam confirmant et explicant, desumpta ex probatis et fere sanctis scriptoribus ac patribus, quibus fidem negare non minima foret temeritas. Sed nimirum qui libertatem carnis amant et voluptatibus immersi sunt verbo Dei fidem abnegant, quia ab eo reprehenduntur.

Itaque cælum et elementa venerata sunt Dei verbum idque propugnatum, et erit aliquis homo qui fidem ei abnegare, idque spernere et conculcare audeat? Timeo sane ne talis et ipse spernatur et conculcetur, quemadmodum accidit principi illi in aula regis Samariæ, qui prædictioni Elisæi fidem abnegavit, dicens fieri nullo modo posse, quam prædixerat propheta, in crastinum annonæ copiam et vilitatem (scilicet modium similæ stare uno, id est, decem pæcis, duos hordeos totidem vendendos) *etiamsi Deus cataractas in cælo fecerit, q. d. etiamsi plueret panes de cælo, sicut olim manna.* Cui propheta: *Videbis oculis tuis et inde non comedes*; id quod evenit. Dum enim populus effunditur per portam urbis in Syrorum castra, quæ deseruerant, diripienda, ipse in porta a turba conculcatus est, IV. Reg. VII. Ita ergo qui conculcavit verbum viri Dei vicissim conculcatus est. Vos autem, auditores, cum huiusmodi bestiis nihil commune habete, sed e contra potius semen bonum recondite, et seminate in cordibus vestris, ut fructum afferat tricesimum, sexagesimum, centesimum.

CONCIO III.

COMPARANTUR INTER SE STATUS VIRGINUM, VIDUARUM, CONJUGUM.

I. Quoad libertatem, conjugium est captivitas. — II. Quoad Dei protectionem, conjugati sunt velut ancilla. — III. Quantum ad dignitatem, conjuges sunt quasi stellæ. — IV. Quantum ad meritum, conjugati sunt quasi pauperes. — V. Quantum ad Dei amicitiam, conjuges sunt quasi cæ.

THEMA.

Aliud cecidit in terram, ei ortum fecit fructum centuplum. Luc. VIII.

Quid sibi vult, auditores, quod S. Lucas asse-

rit, semen quod in terram bonam cecidit, fructum attulisse centuplum, et tacet, quod Matthæus et Marcus addit, aliud attulisse fructum ut triginta, aliud ut sexaginta. S. Hier. in c. XIII. Matth. explicans hanc parabolam, ait per hos trenarios fructus indicari tres Ecclesiæ status, conjugatorum, viduarum ac virginum, et: *Centesimum, inquit, fructum virginibus, sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum casto matrimonio deputamus.* Idem admittit S. Aug. l. de virg. c. XLV. Igitur quia virginum status velut numerus centesimus magnopere excedit triginta et sexaginta duos istos voluit Luc. prorsus tacere, quod a virginitatis gloria quasi absorbeantur, ad eum fere modum quo stellarum et lunæ splendor absorbetur a splendore solis, ut eo præsentem non appareant. Bene est. Quia tamen Marcus et Matthæus etiam viduis et conjugibus suam dant mensuram fructus, videamus etiam istos et cum virginibus conferamus.

S. Aldhelmus occidentalium Saxonum episcopus (qui vixit sub annum Domini 680. in libello de laudibus virginit. tom. III. bibl. pp.) scribit: « Cum tres sint status in Ecclesia, virginitas, cælibatus et conjugium, ex revelatione angelica didicimus, si meritorum ratio habenda est, eum has inter virtutes constituendum esse ordinem, ut sit virginitas aurum, cælibatus argentum, conjugium ærumentum: virginitas divitiæ, cælibatus medioeritas, conjugium paupertas: virginitas pax, cælibatus redemptio, conjugium captivitas: virginitas sol, cælibatus lucerna, conjugium tenebræ: virginitas regina, cælibatus domina, conjugalitas ancilla. » Quinque igitur considerare possumus in his tribus: status primo, animi libertatem; secundo, Dei protectionem; tertio, dignitatem; quarto, meritum; quinto, Dei amicitiam.

I. Quod attinet ad libertatem, conjugium est captivitas, seu dura quædam servitus. Imprimis enim alligat hominem conjugii, qualiscumque ei contigerit et quidem usque ad mortem alterutrum. Alendus is est, audiendæ ejus querelæ, annuendum ejus postulatis, ferenda morositas aliaque vitia, dissimulanda turpitudine et rugosa senectus, custodienda speciosa juvenus, committendum domus regimen, assidendum ægrotanti et coægrotandum cum parturiente gemendum, cum migrante commigrandum, cum hærente hærendum, plurimæque commoditates propter ipsum negligendæ. Quid de iis molestiis dicam, quas liberorum educatio, ploratus, infirmitas, instructio, perversio, dotatio, amissio causare solent? Nimirum conjuges quasi duo boves colligati eidem jugo adhærent quod olim Germani

insinuabant, cum novæ nuptæ par boum jugo alligatum donabant, apud Tac. de morib. Germ. cap. VI. Unus sine altero nequit ire pabulatum, uno trahente, alter quoque trahat necesse est, uno cadente assistat, etc. Bene igitur Metellus offerenti sibi Mario filiam forma, opibus, genere præstantem respondit: *Probo equidem hæc omnia, sed malo esse meus, quam suus.* Cui Marius: *Imo ipsa erit tua.* At ille: *Mos alius est, virum uxoris esse oportet, si diu cum uxore vult esse.* Sunt ergo conjuges captivi, seu inclusi in certam domum, ut intus quidem deambulare, foras autem prodiere non possint.

Jam vero viduorum ac viduarum status multo majori libertate gaudet, cum ab illis conjugii oneribus absolutus sit, habet tamen adhuc quasi licentiam a tergo sequentem, qui elapsus a vinculis retrahere laborat, estque similis captivo, qui a vinculis solutus est, catenam tamen adhuc in pede gerit, qua non difficile rursus capi potest. Similis est equo, cui onus quidem a dorso sublatus est; hærent tamen ulcera in dorso a sarcinis inflicta. Ea sunt vel liberi adhuc superstites, vel turba affinium, vel amor demortui conjugis, vel tentationes carnis. Ergo hic status quasi redemptorum est; ac sicut redempti a barbaris stigma adhuc prioris servitutis gerunt: sic etiam qui conjugio absoluti sunt.

At vero virginum status, pax et securitas, summaque libertas est, ut quæ nesciunt jugum servitutis conjugalis, unde sine impedimento libere in Deum et Christum sponsum feruntur, quo modo vacæ illæ, quibus nullum fuit impositum jugum, recto itinere perrexerunt cum arca in *Bethsames*, hoc est, in domum solis, I. Reg. XIX. Quare jucundo, veri similis earum status est, juxta id Cant. II. *Jam hiems transit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Matrimonii status instar hiemis est, vidualis velut imber, virginalis velut flos, seu ver. Primus tribulationem carnis habet, I. Cor. VII. Secundus tribulationem spiritus, ob tentationes. Tertius utroque caret, estque instar olympi, in quo summa quies, continua serenitas, nulla tempestas, litteræ sabulo inscriptæ non delentur.

II. Quod attinet ad Dei protectionem, omnes quidem tres illi status sub protectione Dei sunt, sed non sine discrimine. Conjugatorum velut ancilla, viduarum, seu cælibum velut domina, virginum velut regina: quomodo rex in aula sua protegit ancillas, magis vero gynæceum, maxime reginam, conjugatos protegit Deus, et vehementer quidem. Sic enim Abrahamo

dixit: *Ego protector tuus sum*, Gen. XV. Idque expertus est Abraham, Genes. XII. quando Saram ab insidiis Pharaonis, et Gen. XX. quando eandem ab Abimelech recepit mira Dei protectione. Item Susanna, quam defendit Deus a calumnia, Dan. XIII.

Porro viduarum majorem Deus sollicitudinem gerit, ut Scriptura faletur, velut Exodi XXII. *Vidua et pupillo non nocebitis*, etc. Ps. CXLV. *Pupillum et viduam suscipiet.* Proprium enim est Dei, divinum præstare auxilium, cum deest humanum, adeoque orphanorum curam in se suscipere, juxta Ps. IX. *Orphano tu eris adjutor.* S. Ambros. in l. de viduis addit duas alias causas, prima, qua referunt Ecclesiam, Christo suo nunc in terra orbatam. Secunda, ut primo matrimonio contentæ sint. Verum supra omnes maximo quasi zelo protegit ac defendit virgines velut reginas, quæ satellitio stipatæ solent incedere. Notum ex l. Esther, quam indigne tulerit Assuerus, quod Aman super lectulum reginæ corruerit, gratiam postulaturus. *Etiam reginam vult opprimere?* inquit, jussitque eum mox suspendi, Esth. VII. simili modo Deus gravissime punivit eos, qui virginibus vim inferre tentarunt. Quare Isa. LVI. ait Dominus de virginibus: *Dabo eis in domo mea et in muris meis locum*, quasi dicat: In aula mea, Heb. *dabo eis manum*, h. e. auxilium et defensionem. Expertæ id sunt quando in prostibula missæ, quarum nulla unquam violata est, Deo protegente. Vel enim eo trahi non potuerunt, uti S. Lucia, vel tibi ab angelis defensæ sunt, uti S. Agnes, aliæ a leone defensæ, ut Malchu monachus, aliæ ab igne illasæ fuerunt, uti S. Cunigundis. Denique, de ipsis intelligit S. Ambrosius, l. I. de virgin. in Ps. XLIV. *Astitit regina a dextris tuis, intellige o virgo*, inquit, quantum tibi Spiritus s. Scripturæ divinæ testificatione detulerit: et ibid. *Custodit Dominus virgines grandi cura.* Audiamus S. Cæciliam sponso loquentem: *Ego Valeriane in angelis tutela sum, qui virginitatem meam custodit, quare in me ne committas, quo ira Dei in te concitetur.* Ratio est, quia ipsæ nullum unquam alium sponsum præter Christum elegerunt: ipsi soli servant fidem, ipsi soli tota se devotione committunt, ut dicebat de se B. Agnes: ab ipso igitur solo velut sponsæ a sponso protectionem expectant.

III. Quantum ad dignitatem, conjuges (S. Adelphus vocat tenebras; nos tamen vocemus stellas: viduas. quæ ille lucernas, nos lunam) sunt quasi lunæ, virgines instar solis. Habet sane conjugium suum decus et splendorem; honoratum a Deo in paradiso, ubi ipse quasi paranympus Evæ duxit eam ad Adam: iose

velut parochus copulavit eos, et velut pater vestit: ipse postea Noen et filios benedixit: *Crescite et multiplicamini*, Gen. IX. Christus item Dei Filius, ad Patris imitationem conjugium honoravit, sua præsentia cohonestando nuptias, necnon primo miraculo ad hæc matrimonium fecit sacramentum, sua gratia id dotans. Laudantur passim casti conjuges, qui ut fidem datam conjugii fallerent, nullis machinis adduci potuerunt; tum in s. litteris, uti Susanna, tum in profanis, uti Lucretia, aliæque. Verum sicut splendor lunæ superat stellarum lucem, ita viduarum decus conjugum honorem. Audimus Joachim pontificem cum universis sacerdotibus prorumpentem in laudem Judithæ: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*, etc. eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris, Judith. XV. Audiamus et apostolum scribentem Timotheo episcopo: *Viduas honora*, I. Tim. V. Est enim viduitas virginitatis æmula, et obducit cicatricem plagæ acceptæ, unde S. Clem. Alex. lib. VII. strom. viduam ait: *Esse rursus virginem per temperantiam.* Recuperant enim ab hoste arcem pudoris sui, tametsi damnis affectam. Porro virginitas in tantum suo splendore viduas excellit in quantum sol lunam. Ita enim Jo. Apoc. XIV. vidit cuneum virginum supra montem Sion, habentium nomen Agni, et Patris ejus scriptum in frontibus suis: *Quia in altissimo virtutum culmine posita est virginitas, cum Deo potius in celo vivens quam hominibus in terra*, ait S. Greg. I. V. in l. Reg. cap. III. Cantabant illæ canticum novum quod, nemo alius poterat canere et sequebantur agnum, quocumque ierat; quia felices habent in celo peculiarem splendorem ac dignitatem, quam nec vidui, nec conjugati unquam assequuntur. Hinc Christus virginitatem noluit ulli præcipere, sed quasi lauream in alto suspendit, in certamen saltatorum ut eam rapiat, qui potest, unde de ea dixit: *Qui potest capere, capiat.*

IV. Quantum ad meritum conjugati, sunt quasi in urbe pauperes, uti sunt operarii; continentibus seu viduati, quasi mediocres, uti sunt artifices et opifices: virgines sunt divites, uti nobiles, et opulenti mercatores.

Habent ergo primo, quamdam meritum suorum supellectilem conjugati, quia, licet ex electione, jugum tamen grave ducunt, uti supra diximus. Debent etiam fidem sibi mutuo servare, et se continere intra fines thalami sui: multum etiam merentur bene educando liberos suos, ferendo orbitatem, mutuas molestias, suffurando tempus ad inserviendum Deo, et vacandum orationi, etc.

Superantur tamen illi non parum a continentibus, seu viduis, teste Apost. I. Cor. VII. *Beatior autem erit* (de vidua loquitur) *si sic permanserit secundum meum consilium.* Quomodo beatior? Quia utique, plus merebitur, frænando carnem, cui semel laxatum frænium fuit, quam frænium iterum, etsi licitum, laxando; illud enim majoris difficultatis est, in virente, præsertim juventa. Caro nostra instar equi est, qui ubi semel diverdit in hospitio aliquo, postea illud transiens iterum vult divertere; nec nisi verberibus retrahitur. Quare vidualis castitas appellatur ab aliquibus martyrium quoddam.

Verum omnibus attestat virginitas velut præpotens quidam nobilis, habens sub se pauperes, et mediocres. Ea designata fuit per supremum cubiculum inter tria, quæ erant circa templum Salomonis descriptum, Ezech. XLI. uti exponunt Beda, lib. de tabernaculo, cap. VII. et Ribera. lib. I. de templo, cap. XXIV. « Tres, inquit, ordines cellarum circa domum ædificati, tres vitæ rationes significant, quæ omnes bonæ sunt et ad Ecclesiam pertinent. Prima est conjugatorum, secunda continentium, tertia virginum. Et quia quælibet harum multos recipit, ac proinde in eis divitiæ domus Dei servantur, recte cellæ dicuntur, sive domicilia. Primus ordo (conjugatorum) strictior est, quia minorem habuerunt latitudinem animi atque spei conjugati, putantes se aut nullo modo, aut difficillime in castitate posse permanere, et illud Pauli auscultantes, I. Cor. VII. « Quod si non continent, nubant. » Hæc latitudo major est in continentibus, quia postquam matrimonii felleam dulcedinem, et splendidam miseriam experti sunt, animum sumpserunt, ut reliquo saltem tempore considerent in Domino se in carne extra carnem posse habitare. Maxima vero est in virginibus, quæ totas se ab initio statim projecerunt in sinum Domini, magnanimitè sperantes, quod omnes carnis illecebras Deo adjuvante essent superaturæ. » Atque hac de causa ss. patres non solum comparant eas angelis, sed etiam præferunt, ut S. Hieron. et S. Bern. eo quod *angelum esse felicitatis est, virginem virtutis est.* Magna enim res est in carne habitare, et carnis appetitum non sequi, sed frænare. Nam ut docet S. Basilius, lib. de vera virginitate sub initium: *Sicut ferrum trahit magnes, sic masculum sua trahet Agnes.* Atque hac de causa docent theologi, deberi virginitati peculiarem quamdam in celo aureolam, ob singularem carnis victoriam in perpetua pugna. At licet conjugatorum servitus sit durior, viduarum continentia ex aliquo capite difficilior, absolute tamen virginum victoria est perfectior: perfectissimum enim genus victoriæ est et pulcherrimum, hosti nun-

quam cessisse; corona autem non debetur pugnae, sed victoriae de pugna, ut dicitur in upplem. D. Tho. q. XCVI. art. V. ad I.

V. Si quaeramus, quinam status Deo sit acceptior? Conjugium est instar aëris, viduitas instar argenti, virginitas instar auri.

Accepti sunt Deo conjuges boni; absque dubio, nam ei Abraham amicus Dei appellatur, Judith. VIII. et Tobias ab angelo dicitur fuisse acceptus Deo, Tob. XII. quia gerunt statum a Deo institutum, bonum, et laudabilem. Unde et Christus Dominus matrem elegit matrimonio ligatam.

Cedere tamen debent viduis, vidualem statum eligentibus. Hi enim quasi argentum sunt, respectu conjugatorum, habentes nitorem puritatis longe majorem, et clangorem famae, atque existimationis multo clariorem. Unde olim in primitiva Ecclesia eligebantur in diaconissas, ut essent praefectae et magistrae mulierum aliarum. Admittuntur quoque alicubi in monasteria. Elegit Deus etiam saepe ad res magnas nonnisi viduas; uti illam, quae pasceret Eliam, III. Reg. XVII. Juditham ad necandum Holofernem: Annam ad ferendum Christo testimonium et prophetandum, Luc. II. Ratio est, quia vidui ac viduae saltem postliminio conantur conformare se divinae puritati. Amor similitudinem quaerit, et quia Deus est purissimus spiritus, quo magis quis a carnis contagione recedit, eo vicinior et similior fit Deo, adeoque etiam charior, juxta id Sapient. XVI. *Incorruptio facit proximum esse Deo.*

Hinc ergo virginum status ut aurum purissimum charissimum est Deo, quia praeter caeteris maxime similis, et a carne remotissimum. Hac de causa Christus, quia et ipse virginum omnium flos et exemplar fuit, matrem nonnisi virginem elegit, eandem nonnisi virgini Josepho despondere voluit, nonnisi virgini Joanni commendavit moriens. Imo ad indicandum, quam amaret intactam puritatem, ingrediens Jerosolymam pullum insedit, in quo prius nemo sedisset: mortuus sepulcrum elegit, in quo nemo conditus fuisset: sindonem quoque mundam, et ipsam utique novam: vestes quas gestavit, nemo prius gestavit, ut probabilissimum est. Ad haec Christus sicut in caelo adoratur ab angelis, ita in terris novam sibi familiam virginum instituit, ut ab illis coleretur in terris velut a terrestribus angelis, ut scribit S. Hieronymus, ep. de virg. ad Eustochium. Hinc etiam Apocal. XIV. dicuntur *empti ex hominibus, primitiae Deo et Agno.* Primitiae autem sunt gratissimi et selectissimi fructus. Et ratio est, quia virgines cogitant, quomodo Deo placeant; habent ergo purissimas cogitationes

adeoque aureas nulli alteri metallo commixtas ac proinde caelestes. Unde recte designantur per supremum arcae operculum, quod erat de pellibus ianthinis, caerulei nimirum ac caelestis coloris; medium de pellibus rubricatis, quae notat statum viduitatis; infimum de stragulis cilicinis, quae significant statum conjugalem, Exodi XXVI. Omnes hi tres status Deum grato quodam convivio excipiunt: sed conjuges in vasis stanneis vel aeneis eum tractant, viduae argenteis, virgines vero aureis. Conjuges velut civem, viduae velut comitem, virgines velut imperatorem. Omnes tres coronant Christum: conjuges imponunt Christo ferream coronam, uti Modocetienses in Lombardia; viduae argenteam, uti Aquisgranenses; virgines auream, uti Francofortienses. Ex dietis jam opinor possumus intelligere discrimen seminis jacti, cujus una pars fructum fecit triginta, alia sexaginta, alia centum. Omnes hi fructus boni sunt et caeli inferendi, si bene statum suum gerant, sed alter altero melior. Qui ergo Deo nequit aurum exhibere, exhibeat argentum, si nec argentum, det aes vel stannum. Qui non potest habere divitias, servet mediocritatem, vel certe serviat Deo in paupertate. Qui nec solis neque lunae splendorem potest habere, habeat lucem stellae, etc. ut ita omnes in suo gradu, sicut ornant nunc Ecclesiam militantem, ita ornent in caelo triumphantem.

CONCIO IV.

PROCRASTINATIO POENITENTIAE PESSIMA CORVI VOX.

I. Quia procrastinatio furatur homini tempus. — II. Fidem fallit et decipit. — III. Stulte agit et impingit. — IV. Praesagit malam mortem.

THEMA.

Aliud cecidit secus viam, et volucres caeli comederunt illud. Luc. VIII.

Quales sunt istae volucres, quae semen bonum secus viam devorant? Colligere hoc possumus ex somnio pistoris, regis Pharaonis; somniavit enim se tria canistra farinae gestasse supra caput, indeque aves caeli comedissee, Gen. XI. Joseph. illud explicans, ait, eum post triduum in cruce suspendendum, et ab avibus caeli lacrandum, videlicet a corvis. Corvi igitur sunt aves illae, quae uti comederunt farinam pistoris, ita semen quoque in via sparsum rapiunt: unde et arantibus vel serentibus agricolis

plerumque corvi in agris pabulantur, jam intelligo cur corvi semen illud devorent; quia nimirum occurrunt multis auditoribus suum illud: Cras, cras. Ita enim exponunt corvi vocem communiter ss. patres aliique auctores, lib. de natura rerum: *Corvus avis clamosa, inquit, nihil aliud sonare novit, nisi cras, cras: S. Aug. serm. XVI. de verb. Domini: Cras, cras, corvi vox: Alcuinus, lib. de virt. et vit. Forte respondet: Cras, cras, cras. O vox corvina! et alii.* Quae vox si unquam auditur, hoc tempore auditur, quando in festis Bacchi genio indulgendum putatur, poenitentiam vero et pia opera differenda esse in quadragesimam. Hinc jam mundus talibus corvis plenus cernitur, qui ni semen bonum ex agro prorsus auferant, procul eas agere necesse est. Quod ut vigilantius agamus, eas hic describemus.

I. Corvus est avis furax; unde et Germanis praeda videtur appellatus. Saepius in hoc deprehensi corvi. S. Columbano abbati chirothecam sepositam corvus rapuit; abbati Corbeiensi, in annal. Cist. A. 1140. annulum, eumque in nidum suum transtulit; Matthiae Corvino Hung. regi annulum eum smaragdo, digito deductum, quem tamen rex, corvo selopeti ictu dejecto, recuperavit: in annal. Siles. Erfordiae corvus cieur de mensa nummos usque ad sex florenos sensim abstulit, et sub lapide abscondit apud Aldrov. in ornith. Hujusmodi corvus est procrastinatio: furatur enim tibi unum diem post alterum, donec sensim subducat tempus praesens spe futuri, adeoque totam aetatem, ad instar infidi alicujus advocati, qui laetat simplicem rusticellum spe lucrandae adeoque urgendae causae, donec causam vel perdat, vel deserere cogatur. Deinde, una cum aetate furatur illi et animam, eo fere modo, quo levitae illius socer, detinendo de die in diem generum, perdidit ejus conjugem, Judic. XIX. Cum enim levita post triduum discedere in domum suam, ex Bethlehem in Jerusalem cum conjuge sua vellet, tenuit eum socer dicens: *Gusta prius paulillum panis, et conforta stomachum et sic proficisceris*, sederuntque simul et comederunt. Cumque ille vellet proficisci, tenuit eum socer et apud se manere fecit. Mane facto parabat levites iter. Cui socer rursus: *Oro te ut paulum cibi capias, etc.* Comederunt ergo simul, surrexitque levites ut pergeret. Cui rursus socer: *Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperam, mane apud me etiam hodie, et duc laetum diem, et cras proficisceris.* Itaque tandem profectus antequam veniret in Jerusalem, *occubuit eis sol*, ait Scriptura: sicque factum ut uxorem ejus cives Gabaa

rapuerint et constuprarint usque ad mortem. Simillimum quid accidit iis, qui patiuntur sibi persuaderi procrastinationem poenitentiae de die in diem; nam et ipsis occidit sol, antequam veniunt in Jerusalem, h. e. *visionem pacis*, seu statum gratiae et quam plurimis interim peccatis foedatur et perimitur eorum anima.

II. Est avis perfida et mendax. Nam emissus a Noe ad nuntiandum diluvii statum, non rediit. Unde Alcuinus, loc. cit. *Forte respondet: Cras, cras. O vox corvina, corvus non rediit ad arcam, columba rediit.* Pari modo procrastinatores communiter fidem fallunt, quia fere nunquam efficaciter volunt: sicut Acesseus nauta, qui omnes lunas causabatur esse infaustas; et sic nunquam navigabat, semper in statione fuit. Videtur quidem corvus Noe ad arcam rediisse subinde, sed ad tectum tantum, ut Pervius ex Chaldaeo (*egrediebatur et revertebatur*) colligit. Sic procrastinatores veniunt subinde ad templum, sed non ac confessionis tribunal, vel si eo usque accedant, non permittunt sese a confessario tangi ubi dolent, adeoque nec in gratiae statum inferri: quo modo corvus non est passus apprehendi se a Noe, et in arcam reponi: cadavera enim peccatorum suorum semel degustata adhuc animo volvunt: ideoque graviora aliqua tacent, et in aliud tempus differunt, vel contributione aut emendationis proposito carent. Ad haec imminente pluvia tempestuosa clamat corvus resorbendo vocem, et quasi pronuntiando verbum, lingua nostra: *Accusa, accusa, quasi dicat: Accusa te apud judicem tuum vel aperi morbum tuum medico, uti observamus saepe, et scribit Aldrov. I. XII. ornith. Multi etiam instante festo aut jubilaeo, urgente morbo, vel terri in concione aut exemplo aliquo terribili, lectione, etc. cum nimirum advertunt sibi imminere gravem tempestatem reddendae rationis Deo, stimulati a conscientia, quod periculose laborent clamant, in secreto cordis: tua vulnera medico monstra, sed post tempestatem redeunt ad suum cras quemadmodum et corvi, juxta idem: *Dæmon langueret, monachus tunc esse volebat; ast ubi convalescit, mansit ut ante fuit.* Exemplo est Otho III. imp. qui occiso Crescentio, Rom. consule contra datam fidem imperio se abdicaturum, et monachum futurum sponndit S. Romualdo. A quo deinde monitus de promissione, promisit se facturum, sed nondum: prius Romam sibi expugnandam asserens. Ivit et ibi Crescentii viduam sibi accepit in conjugem vel potius pellicem. Quae videns recedere a se imperatorem, chirothecas veneno illitas quasi in signum amoris ei donavit, sicque miser occu-*